

EDMAN  
BOËTHIUS, DANIEL  
AROSNIUS, DANIEL

**Dissertatio philosophica de arte surdos  
mutosque educandi, cujus partem priorem,  
consens. ampl. fac. phil. reg. acad. Ups.  
præsidiæ mag. Daniel. Boëthio, ... publice  
censuræ submittit Daniel Arosenius**

Upsaliæ, litteris Joh. Edman, direct. et reg. acad. typrogr.  
1786

# EOD – Miljoner böcker bara en knapptryckning bort. I mer än 10 europeiska länder!



## Tack för att du väljer EOD!

Europeiska bibliotek har miljontals böcker från 1400- till 1900-talet i sina samlingar. Alla dessa böcker går nu att få som e-böcker – de är bara ett musklick bort. Sök i katalogen från något av biblioteken i eBooks on Demand- nätverket (EOD) och beställ boken som e-bok – tillgängligt från hela världen, 24 timmar per dag och 7 dagar i veckan. Boken digitaliseras och blir tillgänglig för dig som e-bok.

## EOD bokens fördelar!

- Få samma utseende och känsla som med originalet!
- Använd ditt standardprogram för att läsa boken på skärmen, zooma och navigera genom boken.
- Skriv ut enstaka sidor eller hela boken.
- *Sök:* Använd fulltextsökning för enskilda fraser.
- *Klipp & klistra:* Kopiera bilder och delar av texten till andra applikationer (t.ex. ordbehandlingsprogram).

## Villkor för användning

Genom att använda EOD-tjänsten accepterar du de villkor som ställs av biblioteket som äger den aktuella boken. EOD erbjuder åtkomst till digitaliserade dokument enbart för personlig, icke-kommersiell användning. För annan användning vänligen kontakta biblioteket.

- Villkoren på svenska: <http://books2ebooks.eu/odm/html/nls/sv/agn.html>

## Fler e-böcker

Redan nu erbjuder 30 bibliotek från 12 europeiska länder denna service.

Mer information finns tillgängliga via <http://books2ebooks.eu>

P. 1-2.0

D. D.  
DISSERTATIO PHILOSOPHICA  
DE  
ARTE SURDOS MUTOSQUE  
EDUCANDI,

————— \* > > > < \* —————  
CUJUS PARTEM PRIOREM,  
CONSENS. AMPL. FAC. PHIL. REG. ACAD. UPS.

PRÆSIDE  
MAG. DANIEL. BOËTHIO,  
PHIL. PRACT. ET ETH. PROF. REG. ET ORD.

PUBLICÆ CENSURÆ SUBMITTIT  
DANIEL AROSENIUS,  
Colleg. Schol. Reg. Triv. Arof.  
Westmannus.

IN AUDIT. GUSTAV. MAJORI DIE X JUNII MDCCLXXXVI.  
H. A. M. S.

—————  
UPSALIÆ,  
LITTERIS JOH. EDMAN, DIRECT. ET REG. ACAD. TYPOGR.





IN S:AM R:AM M:TEM  
MAGNÆ FIDEI VIRO,  
REVERENDISSIMO DOMINO  
**D:NO LAURENTIO  
BENZELSTIERNA,**  
S. S. THEOL. DOCTORI CELEBRATISSIMO,  
DIOCESEOS AROSIENSIS  
EPISCOPO  
EMINENTISSIMO,  
REGIORUM ORDINUM EQUESTRIUM EPISCOPO,  
SYNEDRII SACRI  
PRAESIDI  
GRAVISSIMO,  
GYMNASII AC SCHOLARUM PER DIOECESIN  
EPHORO  
ADCURATISSIMO,  
MEMBRO ORDINIS DE STELLA POLARI  
SPLENDIDISSIMO,  
MÆCENATI MAXIMO.

**SACRUM.**

KONGL. MAJ:TS  
TRO-TJENARE OCH DIRECTEUR,  
HÖGÅDLE  
**HERR ABRAHAM  
HÜLPHERS ABR:SON,**

SAMT  
HÖGÅDLA FRUN,  
**FRU ANNA CHRISTINA  
GRAVE,**

*MINE VÖRDADE SLÅGTINGAR!*

*Man har upptäckt konsten att lära Dumbar tala, men den tacksamme saknar ofta den att så uttrycka sig, som hans hjerta önskade. Mig vore alt betaget, hvarmed vördnad och årkånsla för mina Vålgörare borde tolkas, så framt icke desja blad anses för ett vedermåle däraf, då de EDER i ödmjukhet tilågnas.*

DANIEL AROSENIUS.

DE  
ARTE SURDOS MUTOSQUE  
EDUCANDI.

---

§. I.

**E**st mortalium generi, quod natura mutæ indigentia sensu conjunxit, communis & nunquam infirmenda obligatio, aliorum misereri infortuniorum & ad eadem sublevanda auxiliatrices promptasque porrigere manus. Omnes, quotquot humanæ participes sumus indolis, quadam egestate premimur, cujus solatia ab aliorum benevolentia jure expetimus & expectamus; quæ si bono animo, quantum vires facultatesque permiserint, quisque porrigeret, haud exiguum malorum numerum, de quibus acriter adeo conqueri solent homines, proscriptum & sublatum videremus. Ævo nostro haud minimum decus est, quod nunquam tantis commendata fuerit laudibus humanitas, promptusque ad miseros sublevandos animus, & quod inter se æmulentur quasi homines, ut iniquioris fati injurias suis beneficiis corrigant; Optarem solummodo, ut qui genium Sæculi dirigere videtur misericordiæ & erga indigos benevolentia amor ea copulatus foret perspicacia veraque ea officiorum cognitione, quæ doceret, ne-

A mi-

minem sui officii partes rite obiisse, qui non quidquid in sua fuerit potestate, contulerit ad ipsos malorum fontes tollendos, occasionibus & principiis infortuniorum potius quam ipso malorum sensui medelam adferendo. Hoc enim factum, non quidem evanescerent omnino, quæ humanam sortem comitantur calamitates, sed diminuerentur, & hominum facultates, iis sublevandis malis, quibus humana præcavere nequit industria, magis sufficerent. Inter eas calamitates, quibus præveniendis, provida quantumvis, hominum cura impar semper erit, sed quarum effectus & sensum diminuere & quodammodo corrigere valet humana industria, eam referimus, qua illi laborant, qui a nativitate surdi loquendi facultate destituuntur, & qui hoc naturæ vitio, sine speciali hominum cura, ad brutorum quasi animalium sortem depressi forent & inutilia terræ pondera aliisque hominibus molesti perpetuo manerent. Exempla quidem passim docuerunt, non omnino frustraneam fuisse hominum curam ad medelam huic calamitati adferendam; sed nostræ reservatum fuisse videtur ætati publicam in lucem indubia ejusdem documenta producere, animisque hominum plenam ingenerare convictionem, quod ea, quæ miraculi instar quondam habita fuere, si debitam adhibuerit humanum ingenium sollicitudinem & patientiam, facilia & frequentia evadere queant. Exiguus mutorum numerus non quidem, me iudice, de eorum meritis detraheret, qui illis loquelam reddendi arti curam impendere voluerunt, sed eo majorem jure expo-

poscere videntur humani generis gratitudinem, quo certius constet, sat numerosam esse eorum cohortem, qui hoc beneficio indigent, ut utilia societatis membra evadant. Abbas DE L'ÉPÉE, celebris surdorum & mutorum Parisiis Institutor, eorum numerum ad 3000 circiter in Gallia ascendere autumat, & si eundem calculum ad alias Europæ regiones adplicare liceret, plus quam 300 surdi & muti intra fines continerentur nostræ Patriæ, quorum educatione tot utiles lucraretur cives. Non omnino superfluum idcirco nos præstituros fore laborem sperare ausi fuimus, si ea, quæ de Arte surdos mutosque educandi ad nostram pervenire potuerint notitiam, ita exponeremus, ut Historia & progressibus ejusdem traditis, methodum, quæ in mutis surdisque instituendis cum successu imprimis adhibita fuerit, breviter describeremus.

## §. II.

Quantum sermonis usui debet genus humanum illos fugere non potest, qui veræ philosophiæ ope idearum origines, indolem & progressus rite examinare voluerint. Loquelæ defectus præcipuam non tantum adimeret illius beneficii partem, quam ex aliorum consortione capimus animi sensa illis explicando, & eorum cogitata percipiendo; verum cogitandi vires loquela, vel, qui cum illa conjunctus est, signorum arbitrariorum usu destitutæ, perpetuo sepultæ jacerent somno, unde supra brutorum animantium

tium statum vix ascendentes, nec ratione nostra dirigere desideria nec futuri curam agere valeremus. Signa arbitraria ideis individualibus & concretis, sensuum immediata ope excitatis, respondentia objectorum absentium locum nostra in memoria tenent, & ideas ibi reservatas revocandi facultatem nostræ mirum quantum subjiciunt potestati. Ideis deinde abstractis, quarum objecta extra mentem non existunt, hæc signa existentiam & ut ita dicam realitatem addunt. Idearum denique concretionibus, quas absque exemplari extra se existenti formare mens valet, vinculo sunt, quo destitutæ nec in mente conservari nec ad vitæ usum adhiberi unquam possent; unde necessario sequeretur, signorum usu orbatum nec quantitatem rerum calculis metiri, nec ideas morales & religiosas sibi formare posse. Ne vero gratis has assertiones nos attulisse quis putet, memorabile exemplum hominis inde a nativitate surdi & muti, ex Historia Reg. Academia Scientiarum Parisiensis *a)* heic apponere lubet, quod ad mutorum statum illis quoque describendum idoneum existimavimus, qui philosophicis notionibus inadsveti abstractarum rerum fundamenta minus examinare valent: Ita vera narratur: "M. Felibien de l'Academie des Inscriptions fit savoir à l'Academia des Sciences un événement singulier, peut être inoui, qui venoit d'arriver à Chartres. Un jeune homme de vingt-trois à vingt-quatre ans, fils d'un artisan, sourd & muet de naissance, commença tout d'un coup à parler

---

*a)* Anni 1703. p. 18.

ler au grand étonnement de toute la ville; on fût de lui que quelques trois ou quatre mois auparavant il avoit entendu le son des cloches & avoit été extrêmement surpris de cette sensation nouvelle & inconnue; ensuite il lui étoit sorti une espèce d'eau de l'oreille gauche; & il avoit entendu parfaitement des deux oreilles; il fut ces trois ou quatre mois à écouter sans rien dire, s'accoutumant à répéter tout bas les paroles qu'il entendoit, & l'affermissant dans la prononciation & dans les idées attachées aux mots, enfin il se crut en état de rompre le silence, & il déclara qu'il parloit, quoique ce ne fût encore qu'imparfaitement; aussi-tôt des Theologiens habiles l'interrogerent sur son état passé, & leurs principales questions roulèrent sur Dieu, sur l'ame, sur la bonté ou la malice morale des actions, il ne parut pas avoir poussé ses pensées jusque-la; quoiqu'il fût né de parens catholiques, qu'il assistât à la messe, qu'il fût instruit à faire le signe de la croix & à se mettre à genoux dans la contenance d'un homme qui prie, il n'avoit jamais joint à tout cela aucune intention, ni compris celle que les autres y joignoient; il ne savoit pas bien distinctement ce que c'étoit que la mort, & il n'y pensoit jamais, il menoit une vie purement animale, tout occupé des objets sensibles & présens, & du peu d'idées qu'il recevoit par les yeux; il ne tiroit pas même de la comparaison de ces idées tout ce qu'il semble qu'il en auroit pû tirer, ce n'est pas qu'il n'eut naturellement de l'e-

esprit; mais l'esprit d'un homme privé du commerce des autres est si peu exercé & si peu cultivé, qu'il ne pense qu'autant qu'il y est indispensablement forcé par les objets extérieurs; le plus grands fonds des idées des hommes est dans leur commerce réciproque".

§. III.

Infelici huic & miseræ eorum conditioni, quibus natura audiendi & loquendi facultatem denegavit, artem & industriam hominum remedia quæsisse & invenisse gaudemus. Plurimi eorum, qui loquelæ dono orbati fuerunt, propter surditatem nativam fonos humanos imitari non potuerunt, atque eam ob causam, loquelæ quamvis instrumenta integra & sana habuerint, eadem suos in usus convertere nunquam didicerunt. Quando igitur surditas omni artis medicæ opera tolli nequit, alia tentanda est via, qua surdis loquendi organorum debitus usus restituatur, & in illa invenienda & rite adhibenda particularis surdos mutosque educandi ars consistit. Ad hanc duo imprimis requiruntur momenta. I:º Ut ii, qui huic fini apti surdis integri restant sensus, visus scilicet & tactus, ita dirigantur, ut eorum ope motum organorum vocis hominum loquentium percipere & distinguere discant, & deinde eundem imitari assidua suorum organorum exercitatione assuescant. In qua artis utilissimæ parte felicissime versabitur ille, qui ab Anatomia instructus situm usumque

que organorum loquelæ sigillatim cognoscit, & ex hac notitia regulas ad mutos surdosque instruendos adplicatu facillimas eruere valet. 2:0 Ad hanc artem requiritur, ut vocibus scriptis & pronunciatis sensum subjicere erudiantur surdi. Principalis hæc artis pars, sine qua altera nihil haberet utilitatis, in eo versari imprimis videtur, ut ope signorum naturalium, quæ mutis plerumque familiaria sunt, ea animis eorum instillentur, quæ homines integris præditi sensibus, per auditum concipere didicerunt. Quamdiu in iis, quæ digito monstrare, vel signis a mutis cognitis depingere potest, manet institutor, negotio facili & expedito rem suam peragere posse videtur; ut vero ideas sensibus non subjectas illi tradere debet, majori opus est industria, majorique Scientia: unde etiam artificiosorem signorum usum minus commodum aliaque via in hoc negotio incendum esse existimarunt nonnulli surdorum nostro ævo Magistri. Sed lites hac re motas posteriori opellæ nostræ parti reservabimus; id tantum heic monendum volumus, quod a cognitione analyseos idearum, & Scientiæ illius philosophicæ, quam Grammaticam generalem vocant, vera & solida hujus rei peritia unice peti queat.

## §. IV.

Sub finem Seculi XVI in Hispania cultam primum invenimus artem loquelam Surdis mutisque reddendi a PETRO PONTIO Monacho ordinis Bene-

nedictini. A JOHANNE PAULO BONNET deinde cum successu exercitata fuit, qui edidit libellum Mardriti an. 1620 excusum, cui titulus: *Reduction de las letteras y arte para a hablar los mutos*. Paulo post scilicet an. 1629 EMANUEL RAMIREZ DE CARRION, seu ut alibi illum nominatum vidi DE CORTONNA, eandem tractavit rem libro: *Maravillas de Natureleça, qua se contienta los mil secretos da causas naturales*. Ille quoque celebris est, institutione *Emanuelis Philiberti*, Ducis de Carignan Principis e Sabaudorum stemmate, qui a nativitate surdus tres linguas non tantum intelligere sed & promte scribere didicit, quamvis easdem eloqui non fuerit eruditus. In eorum quoque numerum, qui mutorum institutioni curam priori sæculo impendere voluerunt, relatum video JOHANNEM FRANSISCUM v. HELMONT. Omnium vero, qui huic negotio operam commodarunt, celeberrimi sunt JOHANNES WALLIS Geometriæ Professor Savillanus in Academia Oxoniensi & JOHANNES CONRADUS AMMAN in Schaffhusia natus & in Belgio Medicinam maxima cum sui nominis celebritate professus. WALLIS Tractatum grammatico Physicum *de loquela, sive de sonorum omnium Loquelarium Formatione* præfigere curavit Grammaticæ Linguae Anglicanæ, cujus editio Sexta ad manus nobis est, excusa Londini 1765. Illi quoque adnexa est Epistola Auctoris ad D. Thom. Beverley ex transf. Phil. Lond. pro an. 1698 latine redita, *De mutis surdisque informandis*, in qua exponit

nit methodum, qua ipse cum successu usus est ad duobus imprimis surdis *Alexandro Pophæ & Dan. Whaley* loquelam reddendam, & per quam plures balbutientes & titubantes voces expedite & distincte pronuntiare docuit. Narrat præterea se aliorum surdorum institutioni ita invigilasse, ut scripto sensa animi mediocriter exprimere potuerint, quamvis adeo distincte ac nuper nominati loqui non valuerint. AMMANUS, qui in mutis erudiendis maximam collocavit operam, in physica sonorum formatione explicanda, ad nostra usque tempora, nullam se superiorem habuit. Duobus præcipue clarus est libellis, quorum alter editus an. 1692 titulum habet: *Surdus loquens*, alter vero primo hujus Sæculi anno Amstelodami typis impressus inscribitur: *de loquela*. Inter artis hujus peritos relatos quoque vidimus GUIELMUM HOLDER & GEORGIUM SIBSCOTAM, utrumque anglos, quorum ille an. 1659 edidit *Elements of Speech*, quibus additus est tractatus de informatione muti & surdi, hic vero an. 1670. *Deaf and Dumb mans discourse, or concerning those who are born Deaf and Dumb* b).

§. V.

Ab AMMANNI doctrina instructi plures ab initio hujus Sæculi felicem surdis mutisque erudiendis navasse operam compertum est, quos inter ZIE-  
B  
GLE-

---

b) Confer MORHOFII *Polybistor*. Tom. 1. Libr. 2. Cap. 3. & Lib. 4. Cap. 1.

GLERUM Medic. Prof. Rintelii, & Guilielmu  
KERGERUM Med. Lic. ab HALLERO *c*) nomina-  
tos vidimus & præcipue GEORGIUM RAPHELI-  
UM verb. Div. Min. qui ab AMMANNI scriptis  
ansam propriæ filix ab infantia mutæ loquendi facul-  
tatem reddendi capiens, plura sua experientia & in-  
dustria magistri sui præceptis addidit, eaque cum  
orbi literato communicavit edito Luneburgi an. 1718  
libro: *Die kunst Taube und stumme reden zu ler-  
nen.* JACOBUS FRANSISCUS PEREIRA Natione  
Lusitanus, Parisiis plus quam solito successu hanc ar-  
tem exercuit, proprio alphabeto usus, cujus litte-  
ræ sunt manuum motus. Anno 1739 Discipulum  
nomine *Azy d'Etavigny* surdum natum, Academiæ  
Scientiarum Parisiensi præsentavit, qui post duorum  
annorum educationem, 19 annos natus, quæstiones  
sibi propositas intelligere, & illis respondere tam  
scripto, quam distincta & clara voce valuit *d*). Ab  
illo quoque eruditus est alter surdus *Sabourenx de  
la Fontenay*, quem non tantum loqui & scribere,  
sed plures callere linguas & libros publico commit-  
tendos luci tam ipse componere, quam a gallico in  
anglicum transferre idioma, testantur etjam illi, qui  
ipsi surdorum Institutores, methodum PEREIRÆ  
non adprobant *e*). Quod PEREIRA totam, qua in  
his

---

*c*) HALLERÆ *Elementa Physiologiæ* Tom. III. Lib.  
IX. Sect. IV.

*d*) *Histoire de l'Academie de Sciences* An. 1779. p. 143.  
*Buffon Histoire Natur.* Tom. III. p. 350.

*e*) Vid. *Institution des sourds & des muets par Abbé*

his aliisque mutis instruendis usus est, methodum publici juris facere noluerit, dolemus. Magis de humano genere meruit Abbas DE L'EPEE, qui post illum Parisiis novam & ab aliis nondum calcatam ingressus est viam ad educationem surdorum perficiendam, cui maximo cum fructu laborem vigiliasque dicavit & adhuc, quantum nobis notum est, impendit. Artificiose signorum naturalium compositione novam quasi & universalem linguam excogitavit, cujus ope sensum verborum, quæ scribere & eloqui discunt surdi, animis illorum instillare adnititur. Hujus vero artis initia & fundamenta omnibus examinanda & imitanda tradidit edito a se libello: *Institution des sourds & muets par la voie des signes Methodiques &c.* Parisiis 1776, & ibidem recuso 1784 hoc titulo: *La véritable maniere d'instruire les sourds & muets, conformée par une longue expérience.* Abbas DESCHAMPS Sacell. Ecclesiæ Aurelianensis, Scholam quoque Surdis aperuit Aureliæ, & eosdem methodo, ab ea, quam nuper nominavimus, diversa instituere pollicitur; Quæ ipsi optima visa fuit, explicat tractatu Parisiis edito 1779: *Cours elementaire d'Education des sourds & muets*, cui subjunxit gallicam versionem operis AMMANI *de loquela* a Medico Aurelianensi DE PREAU concinnatam. Ante hos, quos jam nominavimus, ERNAULD, DE SAINT ROSE Monacha de Cruce

B 2

in

---

*de l'Épée*, Ed. 1776. p. 19. Confer. *Histoire de l'Académie des Sciences* pro anno 1750.

in suburbio Sancti Germani, atque VANIN de Doctrina Christiana Presbyter Parisiis educationi surdorum suam commodasse operam compertum est. Et narrat Ab. DE L'EPÉE, se occasionem huic negotio invigilandi primum ex eo cepisse, quod duæ sorores gemellæ a nativitate surdæ, VANINI, cujus institutione fruebantur, morte, educatione omnino orbatae fuissent, nisi misera illarum conditione commotus, quid sua industria in opere, a VANINO inchoato, perficiendo valeret, tentare voluerit. In Germania pluresa nostra ætate surdis mutisque educandis laudabilem impendunt operam. SAMUEL HEINECKE, antea Cantor & Organista Oppendorffii prope Hamburgum, Scholam surdis aperuit, jam vero Lipsiam vocatus laudabile hoc institutum magno cum applausu continuat, quantum vero nobis cognitum est, methodum, quam sequitur, adhuc cum erudito non communicavit orbe, ad illius tamen fundamenta concludere licet a libello, quem in usum surdorum edidit anno 1775, continente *Historias Biblicas Veteris Testamenti*. JOH. LUDV. FRED. ARNOLDI Pastor in Grossenlinden prope Giesam, optime huic arti invigilasse videmus a libro: *Practische unterweisung taubstumme Personen reden und schreiben zu lernen*, quem publico commisit luci an. 1771. Alium quoque vidimus Auctore OTTO BENJ. LASIO Superintendenti Burgtorffii Cellensi, librum, quo descripta exhibet adimnicula, quæ maxime proficua fuere in erudienda

nobili quadam virgine ab infantia furda f). Præterea etiam laudatum invenio J. FREDERICUM SUPH g), propter operam, quam *Silesiæ* in Surdorum educatione præstitit. Si vero quid de hac arte scripserit, ad nostram non perventum est notitiam. In Patria quoque nostra non sine successu tentatam fuisse hanc artem, exemplum unicum quidem, quantum scimus, sed non contemnendum testatur. ABRAHAM. ARGILLANDER rei nitrariæ per Ostrobotniam Director, sua opera id effecit, ut Surdo juveni *Wolfg. Henr. Helsingio*, *Holmiæ* adhuc viventi, facultas tam sensa sua Scripto mediocriter exprimendi, quam eorum sermones quibuscum per aliquod tempus familiaritate conjunctus fuerit, observando motus labiorum percipere, & voce, dura quamvis & illis, qui illius consuetudine non usi fuere, minus intelligibili, breviores locutiones pronunciare valeat h).

B 3

§. VI.

---

f) *Ausführliche Nachricht von der geschehenen unterweisung der taub und stummegebornen Fräulein von Mading, welche nach Zweygäbaigen Unterrichts so weit gekommen, dass man Schriflich mit ihr dialogiren, sie selbst aber die notwendigsten fragen aus der Religion beantworten können; mit eingestreuten pädagogischen anmerkungen. Leipzig 1775.*

g) HALLER Loc. cit. ex *Satur. Siles. Mantif.*

h) Descriptionem methodi ab ARGILANDRO usitatæ Reg. Acad. Scient. Stockholm. subjungendam curavit Libro Nob. Archiat. & Equ. ROSENSTEIN *de Morbis Infantum.*

## §. VI.

Inter eas, quas antecedenti nominavimus, ad mutos surdosque erudiendos, per Galliam Germaniamque institutas Scholas, magna imprimis viget fama illa, cui DE L'ÉPÉE Parisiis præest. Curam suam pauperibus hoc naturæ vicio laborantibus imprimis dicavit celebris hic surdorum Institutor. Quinque aut sex horis singulis septimanis eorum institutioni vacat, eamque semper fere a 30 discipulis frequentatam esse narrat. Hac sua opera id plerumque efficit, ut post duorum vel trium annorum institutionem egressi fuerint ex illius Schola Surdi Juvenes, qui non tantum necessaria Religionis & officiorum cognitione imbuti fuerunt, sed plures linguas calluerunt, easdemque & scribere & eloqui ita potuerunt, ut exercitationes publicas iis in Scientiis, quarum fundamenta cognoverint, instituerint. Ab initio valde dubitatum fuit, an reipsa præstaret sua institutione ea, quæ promittere videbatur, sed cessarunt omnia hac de re dubia, postquam lectiones suas in præsentia plurium auditorum ingenio, doctrina & celebritate conspicuorum repetere non dubitavit, & exercitationes discipulorum publicas aperuit. Principes tam Indigenas quam in Gallia Hospites testes suæ habuit dexteritatis, & hos inter nominasse sufficiat Cæsarem Imperii Romano Germanici JOSEPHUM, qui in Patriam redux Abbatem STORCH <sup>i)</sup>

Pa

---

i) Litteras ipsas vidimus in *Esprit des Journaux* Oâobr. 1784.

Parisiis misit, & litteris clementissime datis Surdorum Parisiensium Institutore commendavit, ut artem suam cum illo communicaret, qua eruditus Scholam Surdis aperire valeret. Brevi quoque factum est, ut ejusmodi institutum Viennæ Austriæ inchoaverit AB. STORCH. Inter illum & nominatum superiori §. Institutorem Surdorum, Lipsiæ orta est controversia, de Methodi *Epeanæ* utilitate, quam dijudicandam plerisque Societatibus litterariis detulit DE L'EPÉE, quamque cum Societate Reg. Scient. Upsal. quoque communicatam esse comperimus. Societas litteraria Tigurinensis sola, quantum nobis notum fuerit, sententia sua litem dirimere conata est, & palmam methodo ab Institute Lipsiensi improbatæ adjudicavit. Sed de hac re in dissertationis hujus parte posteriori, uberius agere nobis constitutum est, illa enim brevem artis ipsius descriptionem, si vires permiserint, trademus. Historiæ artis heic allatæ addimus tantum, quod Laudatus Surdorum Parisiis Institutore, sua doctrina magistros hujus artis formaverit, qui jam Romæ, Tigurini, in Hispania & Hollandia eandem non sine successu excercent.

---

The first part of the book is devoted to a general  
 description of the country, its climate, soil, and  
 productions. The second part contains a  
 detailed account of the principal towns, and  
 the manner in which they are governed. The  
 third part is a history of the country, from  
 the first settlement to the present time. The  
 fourth part is a description of the principal  
 rivers, and the manner in which they are  
 navigated. The fifth part is a description  
 of the principal mountains, and the manner  
 in which they are cultivated. The sixth  
 part is a description of the principal  
 lakes, and the manner in which they are  
 navigated. The seventh part is a  
 description of the principal bays, and the  
 manner in which they are navigated. The  
 eighth part is a description of the  
 principal islands, and the manner in which  
 they are governed. The ninth part is a  
 description of the principal harbours, and  
 the manner in which they are navigated.

[www.books2ebooks.eu](http://www.books2ebooks.eu)